



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 102. Legatorum consultatio de argumentis in Concilio proponendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

nebat rationes, quæ Synodi inchoationem haud amplius differendam suaderent, eo quod, inquiebat ipse, „ultramontani, quo magis deprimendæ auctoritati Sedis Apostolicæ intenti probantur, „eo amplius etiam hæc consilia excogquendi, ac malum inferendi spatium „nanciscantur: unde timendum quoque „foret, ne & ceteras etiam Nationes „suis involvant erroribus: ex quibus omnibus aperte constat, quod Sacræ „Sedis incolumitas a prompta Synodi „celebratione dependeat. „

§. CII.

*Legatorum consultatio de argumentis
in Concilio proponendis.*

Pallav. l. 15.
c. 15. l. c.

Adierant Tridenti eo tempore quatuor duntaxat Legati, cum Altempsius nondum adventasset, & Puteus ob adversam valetudinem absens esset: porro illi ad Synodum necessaria parantes præprimis de materiis ibidem proponendis, necnon de ordine servando deliberabant, hancque in rem duo capita Borromæo Cardinali efficacius commendabant, quorum primum erat, ut religiosum fervetur silentium, ne decretis intempestive divulgatis calumniandi ansa præberetur: II. suadebant, ut Pontifex, si quempiam articulum Cardinalibus ad deliberandum desuper fors

Romæ

Romæ sit propositurus, eundem tanquam suam decisionem proferret, non autem illum a Legatis profectum indicaret, ut hac ratione Legati a sacri Collegii querela, vel æmulatione immunes fierent, nec illis imputaretur, perinde acsi Purpuratos edocere auderent. Ceterum Pius IV. in sua epistola, quam fociis suis tradendam Simonettæ Legato dederat, confirmabat mandatum, vi cuius præfens Concilium tanquam prioris continuatio respiceretur, ac decreta jam antea facta duntaxat pro confirmatis haberentur, de qua re jam dudum Pius Philippum Hispaniæ Regem certiore fecerat: cum vero inde, ne hæretici tam Germani, quam Galli hac propositione offensi a Synodi accessu retraherentur, timendum veniret, atque aliunde Legatorum animus non is esset, ut palam proponerent continuationem eorum fidei capitum, quæ a priori Concilio examinanda supererant; id enim manifestum fuisset argumentum, quod hæc decreta omnino intacta relinqui vellent, hinc præprimis putabant, quod librorum prohibitorum index prosequendus esset, hancque in rem proferendæ forent Papæ literæ, quibus hunc laborem Pontificia auctoritate aggredi monebantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Y 2

Verum

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Pallav. lit.
Legat. ad
Borrom. 14
Decembr.
1561.

Verum Legati paulo post ab hoc consilio resilire, utpote animadvertentes, quod hosce libros hæreticos proscribere haud possent, quin simul illorum Authores damnarent: hac autem agendi ratione Protestantes a Synodi accessu absterrerentur, cum tamen, ut Tridentum venirent, nil intentatum relinqueretur: eapropter Legati datis ad Papam literis argumentorum selectum Synodi Patribus relinqui petebant, certum siquidem erat, quod hi capitum jam decisorum continuationem selecturi essent, hocque pacto id, quod intendebant, consequerentur, simulque omnem contra Papam, cum id iussisse haud crederetur, querendi ansam hæreticis præriperent, ac luculentum libertatis in Synodo solemniter concessæ specimen ederent: priusquam vero ad hæc literas responsum acciperent, Cardinalis Borromæus eis significabat, quod summus Pontifex Synodi initium ad quosdam dies differre, in eorum arbitrio relinqueret, quamvis illam in die tribus sanctis Regibus sacro inchoare iussi essent, concepta spe, quod intra breve temporis spatium Cæsaris Oratores adventuri essent.

§. CIII.

Legatorum monita Episcopis data.

Enim-